



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xix [i.e. viii]. Potentia passiva materiæ est ipsa ejus entitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

minùs periret materia, quàm sublatâ potentia recipiendi formas substantiales; non est tamen de conceptu primo metaphysico materiae, sed ejus veluti proprietatis metaphysicae.

VIII. Ratio hujus potentiae passivæ seu subjecti, pro ut communis est subjecto informationis tantùm, & sustentationis simul, bene statuitur in eo, quòd quid sit indifferent ad aliud, antecedit illud, adeoq; ab eo sit perfectibile (cum enim natura ab imperfectioribus ad perfectiora, maximè in productione cõpositi, progrediatur, eo ipso, quòd materia præsupponatur ad formam, magisq; distet a composito, quàm forma, cùm nequeat transire ad compositum, nisi priùs habeat formam, cõsetur se habere ut perfectibile ad formam) perinde autem est, si hæc indifferentia & antecedentia sit realis, temporis (qualis est materiae respectu formarum materialium primâ exceptâ) siue sit naturæ, siue secundum nostrum concipiendi modum, quo intelligitur semper forma superveniendo materiae illam perficere, & qualiter nunquam materia intelligitur perficere formam, etiam hanc quoq; compleat; imò etiam si crearetur post formam jam existentem, nam & in hoc

hoc casu forma adhuc exigeret produci superveniēdo materiæ, & materia præcedendo formam, etsi hic ordo miraculosè inverteretur. Etsi igitur subjecta secundùm se considerata defædentur quandoq; à formis, ut intellectus ab errore, perficiuntur tamen ab iisdem spectata in ordine ad compositum.

IX. Desumit materia suam specificationem ab eodem vel diverso ordine ad easdem aut diversas formas, ita ut ea censeatur specie differre ab altera, quæ potest recipere formas, quas non potest recipere altera, quòd quia de facto non est, rerum sublunarium materiæ sunt ejusdem speciei; & sic homo ab equo non differt totaliter, id est, secundùm utramq; partem: sic quoq; materia est species infima, metaphysicè ulterius non contrahibilis, etsi physicè ad varia composita contrahatur per formas. Quò minùs verò possibilis sit materia specie distincta ab ea, quæ de facto datur, eaq; imperfectior, nil vetat: non enim materia est absolutè ens imperfectissimum, aut omne genus imperfectionis includens, sicut actus purus sive Deus includit omne genus perfectionis, adeoque hoc alius actus purus perfectior dari nequit.

X. Ap-